

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Auaricia d
cum fonte primo

Que est ista auiditas concupiscencie,
cum et ipse belue habeant modum?
Tunc enim rapiunt quando esuriunt,
parcent uero prede cum senserint satietatem.
Insatiabilis est sola auaricia diuitum.
Semper rapit et nunquam satiatur;
nec Deum timet, nec hominem reueretur,
nec patri parcit, nec matrem cognoscit,
nec fratri obtemperat, nec amico fidem seruat.
Viduam opprimit, pupillum inuadit,
liberos in seruicium reuocat,
testimonium falsum profert.
Res mortui occupantur;
quasi et qui faciunt non moriantur.
Que est illa animarum insania:
amittere uitam, appetere mortem,
acquirere aurum et perdere celum?

Augustinus de uerbis Domini.

Quae est ista auiditas concupiscentiae,
cum ipsae belluae habeant modum?
Tunc enim rapiunt, quando esuriunt:
parcunt uero praedae, cum senserint satietatem.
Inexplebilis est sola auaritia diuitum.
Semper rapit, et nunquam satiatur:
nec Deum timet, nec hominem reueretur:
nec patri parcit, nec matrem agnoscit:
nec fratri obtemperat, nec amico fidem seruat:
uiduam opprimit, pupilli rem inuadit:
libertos in seruitium reuocat,
testamentum falsum profert.
Res mortui occupantur;
quasi non et ipsi qui hoc faciunt moriantur.
Quae est ergo ista animarum insania,
amittere uitam, appetere mortem?
Acquirere aurum, et perdere coelum?

Augustinus Hipponensis, *Sermones*, 367.1 (PL 39, col.1651).